1981
C
21

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-31803/fragment/page=0001




Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-31803/fragment/page=0002

~~I 82~~
~~7~~

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-31803/fragment/page=0003

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-31803/fragment/page=0004

# IMMORTALI
# MEMORIÆ
# Illuſtriſſimi atqve Excellentiſſimi
# HEROIS AC DOMINI,
# DN: CHRISTIANI GULDENLOVII,

DYNASTÆ COMITATUS SAMSÖE,
BARONIS LINDENBURGI,
ORDINIS ELEPHANTINI EQVITIS AURATI,
SACRÆ REGIÆ MAJEST: DANIÆ & NORVEGIÆ,
SUMMI CASTRORUM IMPERATORIS VICARII,
NEC NON SUPREMI CUBICULI REGII, ET REI TABELLARIÆ PER DANIAM PRÆFECTI,
DOMINI, DUM VIXIT, BENIGNISSIMI,
A.S. M.DCC.II. Idibûs Juliîs Othiniæ in Fionia præmaturò obitu exſtincti,

*Hoc, qvicqvid eſt, ſacrum eſſe voluit*

JOHANNES TRELLUND,
Exercitûs Danici in Italia militantis nuper Præpoſitus & Illuſtriſſimo HEROI à ſacris Confeſſionibus, jam in Academia Regia Havnienſi Eloqventiæ Profeſſor P.

HAFNIÆ, Ex Typographéo Joachimi Schmitgen, M.D.CC.VII.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-31803/fragment/page=0005

AK



# Auditores Omnium Ordinum Honoratisſimi!

Subitaneum nimis & inopinatum Illuſtrium Animarum à nobis diſceſſum juſtô deſideriô ac dolore proſeqvi, nec ſana ratio unqvam Sapientibus diſſvaſit, nec ſanctisſima Chriſtianis interdixit Religio. Licèt enim illa communem omnibus moriendi neceſſitatem, hæc propriam ſanctè morientibus beatitudinem doceat; Illa profundam relictæ vitæ calamitatem, hæc eminentem ſuccedentis ævi gloriam intueri jubeat: Illa deniq; generoſam humanorum caſuum contemptionem, hæc piam ac ſubmiſſam Voluntatis Divinæ reverentiam commendet. Nunqvam tamen vel univerſalis miſeriæ conſideratio omnem privatæ nobis ærumnæ ſenſum expectoraverit; vel indubia reſtituendi olim theſauri ſpes dubiam ulli præſentis jacturæ gravitatem reddiderit. Sed nec ingrati animi levitatem minori ſtudiô fugiendam

endam nobis, qvàm Pietatis & Patientiæ laudem ſeqvendam exiſtimabimus: ne cœcô qvodam & oſcitanti mortalitatis intuitu in ipſius ferè humanitatis oblivionem incidiſſe, & dum ſpei fideiq; jactamus conſtantiam, non ferendam amoris inconſtantiam prodere videamur. Qvæ cùm ità ſint, A. O. O. H. nemo qvidem, ut opinor, niſi ILLUSTRISSIMI

HEROIS AC DOMINI,
DOMINI
CHRISTIANI
GULDENLOVII,

Virtutúmq; Ejus immortalium planè ignarus, (is verò rerum eſſet publicarum omnium ignariſſimus) nuperum de inſperato Ejus obitu nuntium inter triſtiſſimos numerare dubitabit; aut fatalem illum diem, qvi Clariſſimum hoc DANIÆ Lumen exſtinxit, eâ luctûs & mœſtitiæ caligine mirabitur involutum, qvam ſola Virtutis & Gloriæ Ipſius nunqvam obſcurandæ diſcutiat ſerenitas. Unde nec tam verendum erit, ne in prædicanda Tanti HEROIS vita, & morte ſimul deploranda modum fortè excedat oratio, & (qvod ab ingenio dicentis officióq; magis adhuc, qvàm ab ipſo *Reveræ* ſitu & nomine abhorret,) *Placentiæ* propior qvàm *Veronæ* accedat; qvàm ne venerationem ſummæ Virtutis ac deſiderium, qvô nihil animo meo fideliùs impreſſum ſentio, parum feliciter aliis expreſſiſſe videatur. Si qvem enim unqvam Heroa in medio ætatis, fortunæ, virtutis ac gloriæ flore rebus humanis ereptum antiqva Majorum

rum pietas doluit; noſtrum certè GULDENLOVIUM juſtisſimîs his dolorum titulîs tantò qvidem acerbiùs & præſens lugebit ætas, & ſecuturæ deplorandum poſteritati commendabit, qvantò Hic multîs aliis feliciùs florentem ætatem florentiori fortunâ, florentisſimâ utramq; gloriâ, & hanc verò, & illam, & iſtam marceſcere neſciâ Virtute ſuperavit. Et ſi non immeritò vehementiorî à nobis dolore divelli exiſtimantur, qvibus ſingulari Providentiæ beneficiô incomparabilibûs meritorum officiîs omnes hominum ordines complecti licuit; cujus tandem fati acerbitas vel plurium animos, vel altiori vulnere afflixerit, qvàm communis illa erepti nobis GULDENLOVII jactura, in qvo non privata ſolùm Domus, ſed ipſa Respublica & ornamentum dignitatis ſuæ, & præſidium ſtabilitatis perdidit: in qvo cultorem AUGUSTUS noſter fidelisſimum & veras animi Regii delicias; in qvo Decus Aula Regia ſplendidisſimum; Patronum duo Regna providentisſimum; conſiliorum ac laborum ſocium tot Principes Comitesq; Copiis Imperatoriis præfecti; Ducem deniq; Exercitus noſter fortisſimum ac prudentisſimum, niſi Patrem potiùs benignisſimum dixeris, cum dolore ſe, gemitu ac lacrymis amiſiſſe profitentur? Adeoq; ſive ad defunctum HEROA cogitationes dirigimus, ſive ad ſuperſtites revocare malumus, juſtiorem utrinq;, qvàm vellemus, luctûs & deſiderii cauſam deprehendimus. Et qvibûs tandem lacrymîs dignè ſatìs & copioſè fatum illud luctuoſum deplorandum nobis arbitraremur, qvô tot in Uno HEROE Naturæ, Fortunæ & Gratiæ dona occidiſſe videmus, niſi incomparabilibûs illa cœleſtis Gloriæ ornamentîs, ipſîsqve nulli mutationi

obnoxiis

obnoxiîs feliciter permutata, feliciùs illuſtrata, & feliciſsimè tandem conſummata conſideremus? Ut igitur paucîs triſti huic pietatis officio ſatìs facere conemur, & de Optimo noſtro **GULDENLOVIO** dicere incipiamus, ad qvem ulteriùs dicere non licet: Lucem Ipſe primam vidit, & novam Septentrioni, in primis autem natali Havniæ, videndam præbuit Annô ab orbe redempto MDCLXXIV. V. Calend. Febr. à qvo ſi ad præſentem numeremus, tam breve Ipſi vivendi curriculum circumſcripſiſſe naturam animadvertimus, ut ſolam in Eo ætatis immaturitatem affectâſſe videatur, in qvo nihil præterea Gratiam & fortunam immaturi reliqviſſe ſentiebat. Et cùm vitæ hominis omnia vitæ humanæ decora innitantur, non injuſtè miremur, tam exile & fragile fundamentum ſolidiſsimæ huic & magnificæ Virtutum moli ſuffeciſſe: niſi ſtructuram ejus arte qvadam Providentiæ ſingulari coaluiſſe credamus, ut jam longam non magnopere deſideraverit vitam, cui multa contigit; nec annorum numerô cum ſenioribus contendere laborârit, qvi pondere meritorũ prævaluit Optimis; nec ad ſeram deniq; & langventem ætatem ſenectutem ſuam differri exoptaverit, qvam prima jam & florenti juventute rariſsimô virtutis artificiô vitæq; compendiô prælibavit.

Nomina qvidem hominum non vera ſemper ſunt omina, nec minùs juſtè ſubinde dolendum, nos veras vocabulorum res, qvàm vera rerum amiſiſſe vocabula. Noſter autem HEROS ut ſanctiorî, qvàm **CHRISTIANI** Nomine ornari ipſe non potuiſſet; ità nec ſanctiùs Eo qvisqvam Auguſtum ac venerabile illud nomen ornavit. Nec nomine minùs, qvàm Ipſo, cui impoſitum erat, dignum agnoſcimus Illu-

ſtrisſimum **GULDENLOVII** ſive AUREI LEONIS cognomentum. Ut enim inter metalla nihil *Aurô* præſtantius, nihil inter animalia *Leone* generoſius finxit natura: ità in exaggeranda HEROIS noſtri excellentia Virtus & Fortuna contendiſſe mutuò videntur, & qvid efficere poſſint, pro viribus expertæ. In primis verò puritatem *Auri* & ſoliditatem Sinceritate Hujus & Conſtantiâ expreſſam, & rurſus, qvicqvid vel in robore *Leonis* verendum nobis, vel in erectiori ejus indole pœnè reverendum videtur, in Fortitudine **GULDENLOVII** & ſingulari animi Magnitudine ſupra fidem & admirationem eminuiſſe novimus. Qvoscunqve autem illuſtrium ejusmodi virtutum igniculos vel præclara naturæ utcunq; corruptæ indoles, vel ſanctior regenerantis Gratiæ vis animæ huic nobilisſimæ inſpiraverat, generoſa & laudabilis diſciplina omni qvidem conatu, ſed nullô tamen negotiô excitavit. Divini in primis cognitioni NUMINIS & ſubmiſſæ reverentiæ, qvâ nulla major Virtus, nulla magnîs animîs dignior, à teneris ungviculis LEO noſter AUREUS ſanctisſimè devotus: ne, qvod in multis dolemus, ſecuriùs neglecta pueritiæ & adoleſcentiæ diſciplina effrænem juventuti & maturiori ætati animum traderet; ſed ità ſe AUREUM meminiſſet LEO noſter, ut **CHRISTIANUM** eſſe non obliviſceretur. Cæterùm his Divinorum ſtudiorum fundamentis ea qvoq; humaniorum acceſſerunt ornamenta, ut in omnibus artibus liberalibus, qvæ commune qvoddam vinculum habent, & qvaſi cognatione qvadam inter ſe continentur, non pœnitendos provectiori ætati fecerit profectûs. Qvò magis in pudorem conjecit ſubruſticum qvorundam

Nobi-

Nobilium faſtum, qvi ab humaniori literatura neſcio qvam ignobilitatem vereri videntur, qvæ tamen haud paucis ignobili locô natis nobilitatem peperit cum connata delicatulorum iſtorum haudqvaqvam permutandam. Et ſi qvid in ipſis eſſet generoſi, antiqvâ ſuâ nobilitate novam ſtudiis immeritò contemptis celebritatem conciliarent potiùs, & obſcuritatem eorum imaginariam ſuô illuſtrare ſplendore niterentur, qvàm hujus ſibi deliqvium indè vel obſcuritatem metuerent. Nihil verò minùs ferendū videtur in his minorum gentium Dominis, qvàm qvòd barbariem qvamvis illius lingvæ Majeſtati præferant, qvâ maximarum gentium Dominam ROMAM orbi terrarum tam diu ac feliciter imperâſſe, fortè non ignorant. Noſter vero **GULDENLOVIUS** ità hanc ab ineunte coluit pueritia, ut licèt plerasq; deinde cultioris Europæ lingvas vernaculas ſibi magis quàm familiares reddiderit; hanc tamen Orbis olim dominantis, nunc eruditi linguam cæterarum commerciô non exoleſcere in ſe, ſed illuſtriùs nobilitari voluerit. Qvamvis autem ſedulâ animi curâ nihil prius **GULDENLOVIO** vel antiqvius fuerit: nec in illis tamen etiam liberalibus exercitiis Nobiliſſima Ipſius inſtitutio defecit, qvæ & majorem corpori vim, & elegantiorem conciliare creduntur habitum. Sive qvòd ætas ejus & fortuna ità poſtularent; ſive qvòd digniſſimum tam illuſtri animâ hoſpitium videretur, quod firmiſſimum æquè ac jucundiſſimum: ſive deniq; qvòd magnam corporis qvoq; Ejus rationem habuiſſet natura, cujus tantâ faciem dignitate exornaverat, ut in ſui non amorem tantùm, ſed & reverentiam intuentium animos facilè converteret. Qvod ne qvis ineptè forſan

inter

inter HEROIS decora relatum à me exiſtimet, vel ideo ſilentiô transmitti non debuit, qvòd ſingulari corporis venuſtate nec in effœminatam animi mollitiem disſolvi ſe, nec à maſcula fortitudine abſtrahi unqvam pasſus fuerit; ſed Davidem nobis HEROUM longè Sanctisſimum repræſentaverit, cujus Virtutem non ſine laudatæ pulcritudinis præfatione idem & dotium ejus & hiſtoriæ Divinus Auctor prædicare dignatus. Adde tam mirabile ac perpetuum ex vultu Ejus omniq; vita ſvavitatis ac gravitatis enituisſe temperamentum, ut nec illa molle qvicqvam, neq; hæc aſperum proderet: ſed eôdem naturæ artificiô à contemptu Severitas Humanitatem, & à metu Severitatem vindicaret Humanitas. Jam qvid in omni converſatione deceret, illuſtri in primis, vel ſuperiorum, qvi paucisſimi; vel æqvalium, qvi pauci; vel pœne æqvalium, qvi non multi; vel inferiorum, qvi longè plurimi, tam accuratô ſimul & promptô obſervabat judiciô, ut naturam Sibi omnium conſvetudini parem obtigiſſe oſtenderet. Et loqvimur de **GULDENLOVIO** adhuc Adoleſcente, ſi tamen adoleſcentiam tam adultæ Virtutis indoli tribuere licet, qvæ Virilem potiùs in tenello corpore animum admirari jubet. Qvid verò non in curſu maturioris ætatis & præcurrentibus eam perpetuò Virtutibus HEROICIS prædicandum nobis reſtat?

*Satìs amplum unus alteri theatrum ſumus*, inqvit alicubi Philoſophus Romanus; Amplisſimum verò Sibi erat HEROS noſter, in qvo tam ſvaviter Muſæ omnes & Gratiæ colludebant. Sed longâ tamen experientiâ confirmatum eſt, qvantò feliciùs per-



ſonam

ſonam ſibi impoſitam, Illuſtrem in primis & Magnificam, ſuo tempore ſuſtineant, qvibus curioſæ peregrinationis ope publicum Orbis ſive Eruditi, ſive Imperantis, ſive Militantis Theatrum diligentiùs perluſtrare licuit. Itaqve noſter etiam ACHILLES ULYSSEM agere non dubitavit, ſed, peragratîs florentioribûs Europæ partibûs, Germaniâ, Belgiô, Galliâ, Italiâ, id ante omnia operam dedit, ut non tecta ſolùm, ſed Homines; non urbes tantummodo, ſed Civitates; non auditoria duntaxat, ſed Doctores; non regiones modò, ſed Regna & Reſpublicas; non palatia tantùm, ſed REGES Principesq;, horumq; mores, conſilia, imperia, qvantum fieri poterat, curioſiſſimè inſpiceret; & qvos ex monumentis Hiſtoriarum Hiſtoricorum Romanorum Princeps petere jubet fructûs: *( omnis exempli documenta in Illuſtri poſita monumento intueri; indè tibi Tuæq; Reip. qvod imitêre, capere, indè fœdum inceptu, fœdum exitu, qvod vites. )* è Nobiliſſima Sua peregrinatione tantò caperet uberiores, qvantò fortiùs exemplîs mortuîs viva movent, plus oculatus teſtis auritîs, plus deniq; experientia, qvàm lectio & valere judicatur, & valet. Et primas qvidem in *Belgio* A. MDCLXXXIII. ſuſceptæ peregrinationis delibavit delicias, unde ſeqvente annô Havniam reverſus A. MDCLXXXVIII. *Auguſtam Taurinorum* ſe contulit, cujus in illuſtri Academia octodecim menſium ſpatiô in omni Exercitiorum Eqveſtrium genere feliciſſimos fecit progreſſûs. Omni interea Virtute & Scientiâ HEROIS ſibi commiſſi animum exaggeravit Illuſtris DN. WALTHERUS Ductor ampliſſimâ meritorum famâ per omnes Europæ regiones dudum inclytus, nunc Sereniſſimæ Danorum REGI-

NÆ

NÆ à ſummis Aulæ Magiſteriis, qvi cum continuam peregrinationem & vitæ ferè ſpatiis exæqvatam tam ſapienter inſtituiſſet, ut habitantem ubiq; nominis ſui gloriam reliqverit, poſt multos alios Principes ac HEROAS, GULDENLOVIUM qvoqve noſtrum feliciſſimîs auſpiciis per hortum Europæ florentiſſimum duxit, & D. 16. Julii A. MDCXC. non ſine fructu itineris uberrimo Havniam reduxit; Unde vigeſimo ſextô ejusdem menſis die cum B. Pro-Rege GULDENLOVIO immortalis memoriæ in Norvegiam, & hinc brevì iterum ad Regiam Daniæ Metropolin profectus eſt. A. MDCXCI. Havniâ per *Germaniam* & *Helvetiam* in *Galliam* venit, ubi caſtra ſecutus Chriſtianiſſimi REGIS expeditioni *Leuzenſi* interfuit, & vertente annô Havniam reverſus eſt. Durante autem, qvod prædicavimus, itinerum curriculô, licèt artibus Belli & Pacis tanto HEROE digniſſimis animum præcipuè intenderet, nec Artis tamen illas aut Naturæ delicias, qvæ curioſos oculos non immeritò morantur, peregrinantis induſtria præteriit; Sed ubiq; terrarum viſu digniora contemplatus eſt, digniſſimus qvi & Ipſe videretur, & longè præſtantiora, qvàm oſtendi poterant, aliis prior oſtenderet. Hinc in ore omnium & celebritate verſatus GULDENLOVIUS maximo apud eos in honore fuit, qvibus maximum univerſus orbis honorem defert; nec ampliores usqvam Sui invenit admiratores, qvàm in accuratisſimis Ingeniorum ac Virtutum illuſtrium Cenſoribus. Qvos inter omnium inſtar unum nominare ſuffecerit Potentiſſimum Galliarum REGEM, cujus in laudibus hanc etiam hoſtes ipſi non inviti ponunt,

qvòd

qvòd juſtus ſemper excellentium meritorum fuerit æſtimator. Huic igitur verè fuit in deliciis noſter **GULDENLOVIUS**, & cùm venerabilior REGI Maximo judicaretur, qvæ ex ſtirpe tam eminenti effloruerat Virtus, nihil eorum, qvæ Principi tribui ſolent, Illuſtriſſimo huic Hoſpiti in Regno ſuo deeſſe paſſus eſt. Sed ad novam HEROIS peregrinationem & ſcopum hujus domeſticum noſtra ut revertatur oratio; A. MDCXCII. denuo in *Galliam* profectus, obſidione *Namurenſi*, & congreſſu *Steenkerkenſi* ſuâ qvoq; præſentiâ & virtute nobilitatîs, in *Cataloniam* ſe convertit, Cohortem *Regiæ Danicæ* cognomentô inſignitam, annuente REGE Chriſtianiſſimô, imperii jure ſuſcepturus.

A. MDCXCIII. ab Auguſtiſſimo REGE noſtro CHRISTIANO V. Glorioſæ memoriæ inter Elephantinos Eqvites clementisſimè receptus Inſignia hujus Ordinis ab ipſa nunc imperantis AUGUSTI FRIDERICI IV, tunc Principis Hæreditarii, manu *Lutetiæ Pariſiorum* auſpicatisſimè accepit: eôdem gratiæ & honoris vinculô Patri & Filio Auguſtis æternùm devinctus. Excitatior tantô factus gloriæ ſtimulô Eqves noſter Illuſtriſſimus, continuatâ cum Cohorte Sua expeditione bellicâ, *Landenſe* prælium, & obſidiones urbium *Huy* & *Charles Roy* Suæ qvoq; fortitudinis & experientiæ teſtes reliqvit. Nec ſegniùs Annô ſeqvente MDCXCIV. in Flandria & Brabantia movit lacertos, donec expeditione *Tongrenſi* aliiſq; ſociâ cohorte feliciter abſolutîs, iſtis qvidem ſignis magnâ apud omnes gloriâ vale diceret, & peragratô Belgiô, Havniam denuo reverteretur. Nemo eſt, qvi non, me tacente, facilî conjecturâ aſſeqvatur, qvantô

non

non tantùm REGIS gaudiô, ſed Regni totius applauſu in patriam toties fuerit receptus, qvi primò ſplendidiſſimas tot exterarum gentium opes ac delicias, nec violatâ earum amicitiâ, nec ſpoliatîs theſaurîs, domum ſecum reportavit, cùm non aliîs armîs, qvàm amore ſui ac veneratione victas reliqverit: ſed præterea etiam tot eximia Bellicæ Fortitudinis ſpecimina in laudatis expeditionibus dederat, ut nihil non ab Illius Virtute ſibi polliceretur Patria, qvem poſt DEUM & REGEM velut Aram ſalutis & ſecuritatis publicæ ſuſpiciebat. Succedentes anni ſupra MDC. *nonageſimus qvintus*, *ſextus & ſeptimus* iteratîs in Norvegiam itineribûs conſumpti ſunt, novisq; ſimul B. HEROIS dignitatibûs nobilitati. *Primô* enim ab Auguſtiſſimo REGE CHRISTIANO V. Summi Caſtrorum Præfecti Vicarius; *alterô* Supremus Eqvitum Peditúmq; ſed & Cubiculi Regii Præfectus conſtitutus; *tertiô* Summi Imperatoris Bellici locum Clementisſimè tenere juſſus Virtute & Gloriâ indies cumulatior A.MDCXCVIII. Havniam repetiit.

Seqvitur hunc annum luctuoſus Optimi REGIS CHRISTIANI V. exceſſus, qvi fatali non **GULDENLOVIANAM** modò familiam, ſed univerſum qvoq; Septentrionem caligine involviſſet, niſi vix ortam opportunô utriusq; ſolatiô optatisſimus novi Syderis Regii FRIDERICI IV exortus hæreditariâ Majeſtatis & Gratiæ ſerenitate ſtatim illuſtrâſſet: ut nec REGES in Dania, nec & **GULDENLOVII** Protectores mori poſſe conſtaret. Confirmavit ergo AUGUSTUS DIVI CHRISTIANI FILIUS veterem HEROIS noſtri dignitatem omnem novô (qvod omnibus novæ fortu-

næ ornamentis anteponendum noverat) Clementiæ Regiæ affectu. Et primò qvidem, cùm res ad bellum ſpectare videretur, **GULDENLOVIUM** Suum cum Illuſtrisſimo Comite WEDELIO in Norvegiam miſit, ad motûs vicinorum cautè obſervandos, & ſicubi poſtularet neceſſitas, fortiter reprimendos. Id qvod eâ non fide tantùm & induſtriâ, „Sed Prudentiâ ſimul & Moderatione animi præſtitit, qvam rei ignaris non facile eſſet credere, gnaris autem admirari facilius fuerit, qvàm vel aliis imitatione, vel nobis prædicatione dignè ſatis exprimere. Rebûs in Septentrione compoſitîs, è Norvegia in Daniam clementisſimè revocatus GULDENLOVIUS dum novum exercendæ Virtuti theatrum circumſpicit, amplisſimum Ipſi aperit graviſſima de Monarchiæ *Hiſpanicæ* hæreditate controverſia Imperatorem inter & Galliarum Regem in Italia etiam decidenda. Qvò cùm AUGUSTUS noſter LEOPOLDO Cæſari ſexies mille militum ſubſidia mittere conſtituiſſet, magna GULDENLOVIO conſummandæ Nominis gloriæ, famæq; poſteritati æternùm commendandæ ſpes affulgere videbatur. Et reverà etiam hîc rarisſimæ Ejus Virtuti inuſitata prorſus materia contigit. Sive enim magnum illud Pomum Eridos adſpiceret, *Hiſpania* erat cum appendicibus tanti Imperii; Magnificum Europæ caput, pro cujus genuino erigendo & coronando Capite multorum fatiganda videbat, plurium cruentanda capita. Controverſia, qvam diximus, fundamentum ſalutis & tranqvillitatis publicæ ſpectans non niſi ferrô *ratione Regum ultimâ* decidi volebat. Teſtamentum unius morte confirmatum multorum internecione abolendum

lendum erat. Et uter Competitorum juſtiori ſangvinis titulô tantum ambiret patrimonium, tot millium ſangvine ultro citroq; hauriendô definiendum. Triſtisſima qvidem illa & per ſe inimica humanitati conditio, ſed aſperum hoc remedium immedicabili Europæ vulneri prorſus erat neceſſarium. Si ſigna, ſub qvibus militandum, intueretur, LEOPOLDI erant, Auguſtisſimi orbis Chriſtiani Principis, qvæ cùm tot Serenisſimi PRINCIPES ac HEROES certatim ſeqvi glorioſum ducerent, qvid tandem illâ Statione vel Dignitati **GULDENLOVIANÆ** vel Virtuti votô fingi poterat convenientius? Sed nec parum ex ipſo Hoſte decoris exſpectari poterat, qvi famâ rerum geſtarum Æmulorum omnium æqvabat, Anteceſſorum verò planè ſuperabat gloriam. Qvid? qvòd memorabile in primis & ominis inſtar accipiendum videbatur, qvòd belli contra *Gallos* gerendi inter ipſos Gallos antè rudimenta cepiſſet, & ſub auſpiciis famoſi iſtius Ducis & Fulminis belli *Luxemburgii* feliciter didiciſſet, qvâ potiſſimùm viâ ſucceſſoribus Ejus VILLE ROY & VENDÔME fortiter & prudenter obviam iret. Sive deniq; ſedem bello deſtinatam cogitaret, *Italia* erat, in qvam arma Gothorum noſtratium ante tot ſecula peregrinata, nondum obliti ſunt Itali. Hanc ergo noſter GULDENLOVIUS non ut antè Spectator curioſus, ſed jam armatus Imperator reviſere geſtiebat; adeò non antiqvam Gothorum fortitudinem in exſilium à nobis ejectam teſtaturus, ut antiqvisſimâ potiùs ipſorum Romanorum roborata virtute in theatrum belli publicum animoſiùs denuo procedere auderet. Cum ſummo igitur imperio

Copiis

Copiis Daniæ ſubſidiariis, novum in Saxonia Ducem tunc temporis exſpectantibus à Clementiſſimo REGE præeſſe juſſus ſuſcepit A. MDCCI. menſe Auguſtô amplisſimam, qvâ dignus erat, Provinciam: & primus cum Exercitu Danico liberum non Juris tantùm noſtri Militaris, ſed & Evangelicæ Fidei Auguſtanâ Confeſſione repræſentatæ exercitium novô exemplô in Italiam ſecum intulit. Placuit Illuſtrisſimo Domino, cui in Norvegia fortè innotueram, curam animæ ſuæ, qvâ nihil habebat pretioſius, mihi immerenti credere, & ab Auguſtisſimo Daniæ Monarcha facilè impetravit, ut eidem mihi horum omnium inſcio, nedum cupido, Conſiſtorii etiam, ſive Conventûs Eccleſiaſtici Caſtrenſis Inſpectionem Clementisſimè committeret. Ità Providentiâ Supremi Numinis, Decretô Regis Serenisſimi, votô & commendatione Optimi GULDENLOVII ex Septentrione Auſtrum verſùs, è Norvegia in Italiam profectus ſum. Ubi licèt animum turbis bellicis non asſvetum & imponendi oneris gravisſimi æqvè ac ſanctisſimi non immemorem terrere potuiſſent haud pauca: erexit tamen trepidantem poſt Clementisſimum Cœleſtis Providentiæ nutum ſpectatisſima DUCIS Optimi Pietas; cujus exemplum laudabile ad bonarum mentium confirmationem, malarúmq; emendationem mutuas cum fideli exhortatione mea operas traditurum non vanè confidebam. Et jam eò provecti ſumus A. H. ubi non famæ ampliùs teſtimonio, ſed communi noſtræ experientiæ de Virtutibus HEROIS noſtri certisſimè omnium pronuntianti fidem habere licet & falli & fallere prorſus neſciam.

Juvat

Juvat meminiſſe, ſi absq; nimiô dolore licuerit, feſtivi illius Diei, qvò in Palatio prope oppidum Gobernolo primam Duci noſtro in Sacra Concione Orationem habui; & cùm opportunè ſatìs ità ferret temporis ratio, laudatum in Evangelio Centurionis Capernaitici exemplum non militi tantùm pio, & Præfecto militari, ſed Imperatori etiam Chriſtiano intuendum ſimul & imitandum propoſui. Neq; enim Centurionem hunc Cæſareum vel Summo Copiarum Duci militiæ Chriſtianæ Ducem commendare verebar, de qvo Ipſum Exercituum Dominum non ſine admiratione ſingulari teſtantem audiveram: *qvòd parem in Iſráële fidem non inveniſſet.* Qvodſi vel majorem in noſtro **GULDENLOVIO**, qvàm in laudato Centurione invenit; ſi deſtinatum Sibi viæ Ductorem longô Ille poſt ſe intervallô reliqvit, non minùs arduam Ei, ſi coævus fuiſſet, Virtutis æmulationem facturus, qvàm dignitatis & ordinis: me qvidem adeò non pœnitebit conſilii, vel pudebit comparationis, ut lætandi potiùs & gloriandi occaſionem Ei me debere profiterer, qvi plura monitîs & exſpectatione majora præſtitiſſet. Sed qvid verbîs meîs eget ſanctiſſima HEROIS noſtri Fides, qvæ ſuorum ipſa Operum teſtimoniîs & certiùs multò & glorioſiùs inclaruit? Pauca de multis afferam, & ne pauca qvidem illa multîs perſeqvar.

Qvem inter Virtutes locum jure ſibi vendicat Religioſa erga Deum Pietas, in animo qvoqve **GULDENLOVII** principem tenuit; nec in hoc etiam Panegyricô inferiorem patitur. Qvantum enim in D. HEROE Verbi Divini ſtudium, qvantum uberiùs ex eo proficiendi ardorem,



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-31803/fragment/page=0021

rem perpetuò ſumus mirati ? qvantam in ſolenni Oraculorum Cœleſtium explicatione, non patientiam dico, (neq; enim inter cruces Verbum de Cruce numerabat) ſed attentionem animi, ſed intenſionem, ſed contentionem oſtendit ! Expendebat qvæ proponebantur omnia , non ad horologium dimetiebatur; non horæ momenta computabat, ſed rerum ponderabat. Ecqvis dormitantem unqvam, aut oſcitantem vidit? qvis verò etiam cum aſſidentibus confabulantem vel ineptientem obſervare ſe meminit? qvis verò non pari dicentem auſcultandi fervore à capite ad calcem proſecutum ſemper, vel antegreſſum potiùs fuiſſe teſtari poteſt? Tantùm ab iſtorum tepore aberat, qvi more veriùs qvàm amore ſanctiſſimis his Religionis exercitiis vacant, & qvaſi rem alienam & vel dignitate ſuâ , vel vitæ conditione indignam agerent, tumultuarios animi motûs haud inviti produnt, & è ſacris cœtibus mentem non minùs, qvàm intulêre, profanam ſecum referunt. Neq; tamen iſtîs temporis ac loci Deo ſingulariter dicati anguſtiîs pietatem ſuam circumſcribi paſſus eſt ſanctiſſimus HEROIS noſtri animus, ut qvotidianas potiùs magnæ Provinciæ functiones nullâ re lubentiùs, qvàm ſedulâ rerum ſacrarum inqviſitione, & ſermonum, qvi de Religione incidebant, auſcultatione ſtudioſiſſimâ & communicatione diſtingveret. Noverat enim nullam in mundo Sapientiam illi ſimilem reperiri, qvæ de Deo ac rebus Divinis mentem hominis erudiret ; nullam, qvæ capaciſſimam immortalis animi facultatem vel uberiùs exſatiaret, vel ſvaviùs. Sed nec eam tamen ingenio ſuo utcunq; feliciſſimo, libertatem indulgebat, ut rimari juſtò

ſoliciticiùs

ſolicitiùs auderet, qvæ ſanctè ac ſubmiſſè miranda didicerat; aut humanâ ratione ea complecti conaretur, qvæ Divinâ fide nobis amplectenda Spiritus Sanctus tradidit. Teſtor vocem HEROIS Sapientiſſimam, qvâ audaces Myſteriorum Divinorum Speculatores Freqventiùs arguebat: *Suam qvidem ſimplicitatem rerum tam ſublimium inveſtigationi haudqvaqvam ſufficere.* Nec erravit ſanè, dum graviſſimè eos errare credidit, qvi imperium ibi Rationi deferrent, ubi nihil ipſi Fidei præter obſeqvii gloriam relictum viderent. Qvid ordinarias privatarum precum horas memorem, qvarum nemo ſacris operantium eſſe potuit obſervantior? Ità ſolenne Ipſi erat, anteqvam ſalutantium ſe turbæ immiſceret, religioſam cum Deo ſolitudinem qværere: nec feliciùs vota ſupplicantium ſe credebat excepturum, qvàm ſi demiſſâ priùs pietate Divinam eſſet veneratus Majeſtatem. Lectio Sacro-ſancti Codicis non religioſa minùs Ipſi erat, qvàm qvotidiana; nec contentus fugitivô, qvod ſæpe contingit, oculô perluſtrâſſe Sacram Paginam, qvæ notatu digniora occurrebant, ſtudioſâ manu illuſtrare qvoqve ſolebat. Qvô nomine memorabilis eſt illa Pſaltis Divini ſententia Pſ. CIII. 15. 16. *Hominis dies ſunt, qvaſi graminis: nec aliter, qvàm flos agri floret. Qvem ſimul ac tranſit Ventus, ſecum auffert, ut in loco,* qvem ornavit, *nulla ſui veſtigia relinqvat.* Qvam argumentum deſtinatæ Sibi Orationis Funebris præbituram cùm adſcriptô nomine

**CHRISTIANI GULDENLOVII**

(nec Aureum magis Aſteriſcum reqvirebat) à B. HEROE inſignitam aliqvando obſervarem, eqvidem piam hanc mortalitatis memoriam in illa ætate & fortuna ſatis admirari non poteram: ſed meæ tamen

etiam pietatis eſſe credebam, ſeram Ipſi ſeveræ hujus Veritatis experientiam precari, qvam nunc citò nimis incidiſſe, non ſeriò minùs qvàm ſerò dolemus omnes. Et qvibûs tandem laudibûs maximè ſecretam Ejus inSacra Confeſſione atqve Communione Pietatem ornaverim, qvam Modeſtia Ipſius ſemper maxima, nunqvam verò major ſigillô qvaſi Confeſſionis munitam ſanctô potiùs venerari jubet ſilentiô? Illud interim taceri neqvit, tam ſtrictam religioſæ mentis Pietatem nullô unqvam Superſtitionis, licèt undiqve circumfuſæ & oculis qvotidie oberrantis confiniô læſam fuiſſe. Nunqvam enim in Theatro diſſidentis à nobis Eccleſiæ vel colluſorem egit, vel ſpectatorem: nunqvam ſplendida peregrinorum rituum facies, qvam Foro potiùs qvàm Choro, & profanæ Scenæ magis, qvàm Sacræ Cœnæ convenire judicabat, vel animum Ejus, vel Corpus inclinavit. Qvippe larvam ſimulationis perſonâ, qvam gerebat, indigniſſimam ratus non minùs HEROICÆ in Fide Evangelica Conſtantiæ, qvàm incorruptæ pro ſuſcepta cauſa Fidelitatis exemplum imitandum omnibus exhibuit. Salutari ergo Verbi Divini doctrinâ contra geminam Religionis Chriſtianæ peſtem, *Superſtitionem* & *Impietatem*, tam feliciter animum præſervaverat, ut neutrius contagionem Sibi paſſus fuerit inſpirari. Utq; de rebus Divinis diſſerentem nec riſum prudentibus, nec piis gemitum elicere debere noverat: ità qvoties Ipſe ſermonem eò direxit (qvod fecit freqventiſſimè) tam ſanctè & ſolidè, tam ſobriè ac reverenter animi ſenſa expreſſit,

ut

ut Religionem ipſam **GULDENLOVII** ore locuturam dixeris. Id ſanctè aſſeveraverim, nihil, qvod vel fidei ſanctitatem, vel morum offenderet, ex ore Ejus me obſervâſſe. Unde facile erit judicare, qvantopere à diris execrationibus abhorruerit, qvibûs ſolîs tamen haud pauci HEROAS ſe, vel gigantes potiùs Cœleſtibus bellum illaturos probare ſatagunt. Hujus autem vitii fugam inter laudes noſtri HEROIS retuliſſe, qvibus tot illuſtria Pietatis & Virtutum omnium ſpecimina materiam præbent uberrimam, detriviſſe eas foret, non amplificâſſe. Sed ad ea veniamus, qvæ propiùs Imperatorem Exercitûs attingunt; ut HEROEM noſtrum non ſanctisſimô tantùm, qvod geſſit, Nomine, ſed ſplendidiſſimô etiam Cognomine fuiſſe dignisſimum; nec Deo tantùm, qvæ Dei erant, ſed Cæſari etiam, qvæ Cæſaris, imò qvæ omnium, omnibus pro virili tribuiſſe pateat. Qvæ enim in Summo Imperatore utramqve faciunt paginam, Scientiam rei militaris & Virtutem bellicam in Hoc noſtro qvis unqvam deſideraverit?Ità qvippe ab ineunte ſtatim juventute Duci bellîs exercitatisſimo in militiæ diſciplinam traditum fuiſſe audivimus, ut qvi cum tanta proficiendi opportunitate tanti ſimul Ingenii lumen, tanti fervorem Animi, ut reâpſe erat, cogitatione etiam conjunxerit, nullam rem eſſe ſuſpicari facilè posſit, in uſu militari poſitam, qvæ hujus noſtri Imperatoris Scientiam fugere potuerit. Jam verò parem illi Scientiæ Virtutem, qvis eſt, qvi non in B. HEROE meritò veneretur? cùm & labor Ejus in negotio ſemper

 indefeſſus,

indefeſſus, fortitudo in periculis imperterrita, induſtria in agendo mirabilis, conſilium in providendo ſagacisſimum, celeritas in conficiendo fuerit incredibilis. Qvantâ curâ & vigilantiâ minimos qvoqve hoſtium motûs indagare ſveverat! qvantâ animi, non alacritate dicam, ſed exſultatione veriùs tentandæ expeditionis nuntium arripiebat? qvantô vigore & conſtantiâ tentabat! Qvoties intempeſtâ nocte ſola Providentiæ luce comitatus exploratis hoſtium excurſionibus in agro *Mantuano* obviam procesſit! plerumqve tamen ipſô adventûs Sui rumore territos in fugam convertit: ut neſciam ferè, an juſtè ſemper conqveſtus fuerit, cominus ſibi cum iis dimicare non licuiſſe, qvos eminus etiam vicit, & aciem tantæ Virtutis experiri non auſos levisſimô ejusdem fulgore, & qvadam qvaſi umbrâ perculſos in latibula ipſorum repulit. Nihil facilè magnæ rei ſuſcepit Illuſtre illud belli Fulmen, & Tutelaris Exercitûs Cæſarei Genius EUGENIUS, qvod ſine **GULDENLOVIO** aggrederetur, qvem non amore minùs, qvàm fiduciâ Virtutis Ipſius, & conſilii participem & diſcriminis eſſe voluit. Nec beatior ſibi unqvam viſus eſt Noſter, qvàm quoties vel à latere, vel in conſpectu Tanti Ducis ac HEROIS verſari poterat, cujus ipſô Nomine recreari ſolebat. Quòd verò in cruentisſimo ad LUZARAM prælio importunisſimâ malignæ febris invidiâ gloriâ conſortii hujus & voluptate fruſtraretur, qvantô tandem dolore ac ægritudine generoſam HEROIS noſtri mentem afflictam fuiſſe & vulneratam dixerim? Horret animus illius diei memoriâ, qvô, infirmitati proſtrati corporis erectô

Spiritu

Spiritu fruſtra reluctante, è caſtris Veronam ſe deportari non tam juſſit, qvàm paſſus eſt. Vultum Ejus & animum vidimus, qvalem *Camilli* concipimus Clariſſimi Gallorum Victoris, cùm ad bellum Samnitibus inferendum miſſus graviſſimô interim morbô reverti ROMAM cogeretur. Suam utiq; fecit mixtam hanc fortitudine & impatientiâ vocem Magni illius *Alexandri*, in pari rerum ſuarum articulo deprehenſi: *Si qvid opis, ſiqvid artis in Medicis eſt, ſciant, me non tam mortis aut morbi, qvàm belli remedium qværere.* Nec Oratione Vobis A. H. ſi rei ignaris loqverer, facilè exprimerem, qvâ ſolicitudinis & gaudii contentione ea paulò pòſt vel lectu, vel auditu perceperit, qvæ videre Ipſe & gerere maluiſſet. Neq; ſanè qvicqvam ad gerendum Virtutis Animus Ei denegaverat, modò ſatìs ad videndum roboris valetudo indulſiſſet. Qvò æqvior enim Tibi fuiſſes OPTIME GULDENLOVI, qvi nemini unqvam fuiſti iniqvus, & neminem TIBI iniqvum habere meruiſti; non levius TIBI cum importuno morbo, qvàm copiis Tuis cum hoſte fuit certamen. Nec tam de dolore corporis & moleſtia loqvor, qvàm de orta hinc inevitabili abſentiæ Tuæ neceſſitate, qvæ præſentiſſimâ animum Tuum ægritudine afflixit. Hunc TU hoſtem inteſtinum majori ſanè & difficultate & Virtute, qvàm Gallos omnes proſtraviſſes, deviciſti. Qvid? qvòd abſenti TIBI jure optimô à nobis ea vindicantur omnia, qvæ per Tuos præſentes cum virtute & gloria geſta ſunt. Nihil enim hi maſculè & laudabiliter egerunt, qvod non ſecundùm DEUM & Divinum EUGENIUM, diſciplinæ Tuæ auctoritati,

tati, ſpectatæ Virtutis exemplo, tot Humanitatis & Gratiæ Tuæ documentis, qvid multa? qvod non ipſi faciei Tuæ ad fidem & fortitudinem invitantis (ne abſentiæ etiam, ne morbi, ne impatientiæ non tam hujus, qvàm illius, dicam) recordationi præcipuè tribuendum fateantur. Licèt igitur partem TIBI ſperatæ voluptatis dura abſentiæ lex inviderit, nullam tamen gloriæ particulam eripere potuit. TUA præſens abſentia abſentem qvorundam præſentiam arguit. Tu abſens hoſtium cohortes per alios qvidem, ſed Sapientiâ Tuâ formatos, ſed Virtute excitatos, ſed amoris Tui fiduciâ ad æternam fortitudinis & obſeqvii fidem devinctos, repuliſti, fugâſti, proſtraviſti: præſens verò Teipſum, qvod omnibus Victoriis ac triumphis anteponendum, tardiùs paulò, ſed multò glorioſiùs ſuperâſti. Qvodſi qvis A.H. in bellicis HEROIS noſtri laudibus depingendis hebetiorem me fortè deprehendat, mitigabit cenſuram hujus infacundiæ, ſi *arma militiæ meæ* in ipſa hac militia *non carnalia eſſe, ſed Spiritualia* meminerit. Unde qvando militares perſeqvor Virtutes, *non arma* mihi *ſed tympana eloqventiæ*, (ut cum *Fabio* dicam) ſuppeditari video: & ubi ad *Lauros Palmáſq;* perventum eſt, extra *oleas* qvaſi vagari orationem ſentio. Scilicet indiſerto Oratori illud etiam dictu videtur difficile, qvod Magnis HEROIBUS factu fuit facillimum. Sed qvibus tandem hæc loqvor? nonne iis potiſſimùm, qvi plura mihi & ampliora de Virtute Immortalis noſtri **GULDENLOVII** ipſi commemorare, qvàm de eadem, me interprete, cognoſcere posſunt? Loqvantur ergo pro me harum rerum non me tantùm, ſed omnibûs aliîs & conſcii magìs & periti.

periti.Loqvantur Sereniſſimi Principes & Duces copiarum Excellentiſſimi: Incomparabilis EUGENIUS ante omnes & inſtar omnium nominandus,(cui utinam Fortiſſimum & Danici Exercitûs amantiſſimum COMMERCY etiamnum adjungere liceret!) Loqvatur Invictus STARNBERG, Strenuiſſimus LICHTENSTEIN, Generoſiſſimus VAUDEMONT, Graviſſimus TRAUTMANSDORF, Conſtantiſſimus BEARNER, veneranda & noſtro ævo & omni poſteritati Nomina, amori verò **GULDENLOVIANI** Nominis & admirationi in primis dedita. Loqvantur tot illuſtres & Noſtri & totius Imperatorii Exercitûs Præfecti, non in communi cauſa tuenda conſtantiùs, qvàm in prædicanda **GULDENLOVII** virtute conſentientes. Loqvantur milites ad unum omnes, qvi vel ipſi imperio GULDENLOVII non ſine admiratione Imperantis paruerunt, vel parere ſocios viderunt. Loqvatur tandem MANTUANUM qvà patet hujus belli Theatrum, qvantâ Virtute & gloriâ ſplendidiſſimam Imperatoris Danici perſonam Divus noſter HEROS ſuſtinuerit, & ſi vel Hoſpitis, vel Hoſtis tam generoſi merita venerari didicit, Actori tam felici feliciter applaudat! Qvoniam verò, ut rectè *Tullius* judicat, non ſola bellandi Virtus in ſummo atq; perfecto Imperatore qværenda eſt, ſed multæ etiam artes eximiæ hujus adminiſtræ comitesq; Virtutis: Innocentia, Temperantia, Fides, Facilitas, Ingenium, Humanitas. Has & ſimiles, qvas vel Ipſe in *Pompejo Magno*, vel in majore adhuc *Centurione* ſacri Scriptores prædicant, age,

 paucîs

paucîs in Divo noſtro **GULDENLOVIO** verbîs, prolixâ autem veneratione complectamur. Superiori Poteſtati ſe obnoxium cum Præfecto Capernaitico agnovit Noſter, CÆSAREÆ & REGIÆ, qvam utramq; pari pietatis, fidei & ſubmiſſionis affectu coluit. Qvantâ REGIAM Majeſtatem reverentiâ ſuſpexerit, licèt certiorem incomparabili Ipſius REGIS Gratiâ teſtem producere non liceat, tamen vel hôc documentô illuſtrari meretur, qvòd jus vitæ & necis poteſtati Ipſius militari ab AUGUSTO noſtro liberaliter indultum, invitante licèt qvotidianô Cæſareanorum exemplô, vix unqvam tamen, niſi in cauſa, qvæ nec deliberationem poſtularet ullam, nec moram pateretur, exerceret; ſed exſpectatô priùs Supremô REGIÆ voluntatis arbitriô, eò glorioſiùs, qvò ſubmiſſiùs tutiúsqve exſeqveretur. IMPERATORI autem, cui à REGE parere juſſus erat, etiam per Principes imperanti fideliſſimè ſemper obtemperabat. Nec minori contentione animi, qvàm ſi pro ſalute ipſius patriæ pugnandum fuiſſet, cauſam Ejus graviſſimam vel Suæ fidei, vel ſuorum commendatam eſſe voluit. Qvanta verò è liberali hoc & laudabili obſeqvio gloria, tanta ex imperioEjus mitiſſimo gratia enituit. Qvippe non tam Imperatorem ſe, qvàm Patrem commiſſi geſſit exercitûs. Nec Præfectos militiæ tantùm,ſed ipſos etiam gregarios milites ea comitate compellare & tractare noverat, ut in Duce ſuo Commilitonem diligerent, qvi in Commilitone tamen etiam Ducem venerabantur. Tantùm ab eorum abhorrebat ingenio, qvi timeri ſe, qvàm amari malunt, nec mitiùs in gregem hominum

ſæviant,

ſæviunt , qvàm ſi in belluas ipſis obtigiſſet imperium. Cum Centurione potiùs noſtro *Hominem* ſe, & hominibus præpoſitum recordabatur, unde nihil hîs moribûs magis à ſe alienum eſſe volebat, qvi ipſi humanitati bellum indixiſſe videntur. Neqve tamen ideo ( qvod levitatis & ſocordiæ, non benignitatis & Miſericordiæ eſſe noverat, ) aciem auctoritatis Suæ nimiâ lenitate paſſus eſt hebeſcere. *Vocabat* ſuos, *veniendum* erat: *mittebat, eundum: imperabat, parendum.* Et cùm gloriam rei militaris ac ſalutem, niſi diſciplinâ Magiſtrâ, non diu ſtare poſſe perſpectum haberet, id omni Sibi curâ providendum exiſtimabat, neqva latrocinii infamia apud eos reſideret, qvi imperii Ipſius Juſtisſimi gloriâ orbi inclaruerant. Et ſi qvid fortè (qvid enim eſt, qvod non militiæ libertate effrænata qvorundam malitia velare auſit?) Ipſô vel abſente, vel inſciô geſtum erat iniqviùs, tam faciles ad Eum privatorum aditûs, tam liberæ qverimoniæ de aliorum erant injuriis, ut nec pœnâ oppreſſorem, nec ſolatiô oppreſſum & auxiliô carere unqvam pateretur. Sed qvoniam in Juſtitiæ laudem incidimus, ad laudem qvoqve Juſtiſſimi Imperatoris noſtri in primis referendum, qvòd Sangvinis humani parciſſimus ad capitalia reorum ſupplicia decernenda perinvitus progrederetur, retractare ſemper paratus triſtem damnationis ſententiam, ſi ſalvâ id conſcientiâ Judicis fieri poſſe Sacer Conſeſſus noſter ex Verbo Dei & cauſæ circumſtantiis concludere ſuſtineret. Ità ſemper qvidem intrepidâ Fortitudine & generoſâ Magnitudine animi, aſperitate autem & vindictæ cupidine nunqvam ſe *Leonem* præbuit. A Superbia verò, licèt

pertinaci

pertinaci aliàs tantæ Dignitatis ac fortunæ comite, ità mens HEROIS noſtri & vita omnis diſſentiebat, ut cui Magnanimitas ſuæ ſemper Originis memor contigerat, Modeſtiâ tamen & Comitate ejusdem, ſi ità liceret dicere, propemodum oblitâ temperata videretur. Qvod ſi verò nec Iracundiæ unqvam nec Inſolentiæ reus fuit; qvæ vel minima Avaritiæ ſuſpicio Illum violare potuit, qvem Liberalitatis & Magnificentiæ gloriâ, qvanta vel in Principem cadere potuiſſet, maximâ perpetuò floruiſſe novimus? Qvot Ille affeclîs carere potuit, ſi Benignitatis propemodum nimiæ exercitiô vacare didiciſſet? Qvàm lautam non Suis tantùm, ſed advenis etiam ſterni juſſit menſam, cujus Ipſe delicias (ne Sobrietatem Ejus & Frugalitatem nimis proh pudor! inter eminentioris etiam fortunæ homines raram illaudatam relinqvamus) parciſſimè tantùm, qvantum ſanitati animæ & corporis conducebat, delibare ſveverat. Scilicet nec Naturæ Suæ bonitati, nec Perſonæ dignitati minorem convenire apparatum arbitrabatur; cæteroqvi vanitatum hujusmodi omnium contemptor generoſiſſimus. Sed nec iîs tantùm rebûs, qvæ ſplendorem foràs projiciunt, & admirationem publicam provocant, Magnificentiam Suam declaravit: ſed in egenos etiam & afflictos qvotidiana ejus, nec qvotidiana tamen exſtare voluit documenta. Et arcanô Chriſtianæ Humilitatis artificiô, dum hominibus ſplendorem Suæ Liberalitatis obſcurum eſſe voluit; in oculis Dei, qvibus nihil obſcurum, tantò reddidit illuſtriorem. Ità qvod de ſe qvondam Alexander Macedo profeſſus dicitur: *Se in Aſiam veniſſe, non ut ab aliis acciperet, ſed ut*

*ut aliis daret*, id veriùs de expeditione Sua Italica noſter **GULDENLOVIUS** prædicare potuit, non aliô nomine LEONIS AUREI cognomentô dignior, qvàm qvòd ad *Aurum* generoſè contemnendum qvaſi natus videretur; ſaltem *ferrum* longè qvàm *Aurum* familiariùs tractaret. Nec amplô divitiarum votô *M. Craſſum* imitari ſuſtinuiſſet, niſi fortè ut vanam ejus jactantiam verâ ſuperaturus beneficentiâ *pecuniæ ſuæ fructibûs inopem aleret Exercitum*. Et qvomodo Suorum ulli, vel ſociorum hanc tantam claudi paſſus eſſet Benignitatem, qvam ipſis etiam hoſtibus patere voluit? Qvod ſuô in primis commodô captivi Gallorum Præfecti ſæpius didicerunt, qvi non Hoſtem ſeverum, ſed Hoſpitem experti humaniſſimum, GULDENLOVII captivi eſſe malebant, qvàm GULDENLOVIANOS in captivitate tenere: ità non ſtatum, ſed locum tantùm mutâſſe ſibi videbantur, eô ipſô, qvòd Clementiæ tam inuſitatæ amore ſe ac admiratione captos ſentirent, nullâ captivitatis ſuæ curâ vel cogitatione affecti. Et neſcio ſanè, an majorem pugnantibus imperterritâ Fortitudine, an victis captisq; ſingulari Humanitate ac Manſvetudine, invicti roborisSui gloriam teſtari valuerit; cùm judice Regum Sapientiſſimô, plus in Manſvetudine Fortitudinis, qvàm in ipſa ſitum ſit Fortitudine, & qvi animo imperat, multarum urbium Expugnatoribus longè antecellat. De omnibus igitur optimè meritus GULDENLOVIUS nemini omnium diſplicere potuit. Ità charus ſuperioribus, jucundus æqvalibus, venerabilis inferioribus, Suis pretioſus,

